



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XXI. De corporibus translatis de parochia sua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

XXI.

Si corpus aliquod a sua parochia deferatur in aliam, solvatur tamen pecunia sepulturæ eius in eam cui iure pertinebit ecclesiam, & omnes rectitudines & sanctæ Dei ceremoniæ, sicut omnibus opus est, totis desideriis observentur. * In festiuitatibus, in ieiuniis.

XXII.

In feriatione diei dominicæ, ab hora nona sabbati ad vespere que diluculum secundæ feriæ, & in sanctorum omnium solennitatibus, sicut a sacerdote fuerint nuntiata, ipsa vero die dominica publica mercimonia, vel placitorum conuenticula, venationes, & huiusmodi sæcularium actiones exerceri modis omnibus prohibemus, nisi pro magna necessitate sit.

XXIII.

Omne indictum ieiunium deuote conseruetur, siue quatuor temporum, siue quadragesimale, vel deinceps aliud quodcumque sit: & ad omnes beatæ Mariæ festiuitates, & sanctorum apostolorum omnium, ieiunia votiuæ præueniant, præter Philippi & Iacobi pro solennitate paschali. Non sunt secundum legem indicta ieiunia a pascha vsque ad pentecosten, nec a natali Domini vsque ad octauas epiphaniæ, nisi qui per pœnitentiam vel sponte ieiunet.

XXIV.

Et non festis diebus iuramenta, & ferri, vel aquæ, vel huiusmodi legis examina fieri prohibemus, & quatuor temporum, & diebus quadragesimæ, & aliis legitimis ieiuniis, & ab aduentu Domini vsque in octauum diem post duodecimum diem a natali, & a septuagesima vsque ad quindecim dies post pascha: & sancti regis Edvardi gloriosum passionis diem per totam Angliam volumus celebrari x v. Kalendas Aprilis, & sancti Dunstani xiv. Kalendas Iunii, & sit in his sanctis obseruationibus, sicut vere iustum est, Christianis omnibus pax & concordia, & omnis ira tollatur, & si quis alteri debitor est de plegiatione, vel aliqua contingentium sæcularium emendatione, reddat ei sedulo prius aut postea: & in Dei dilectione petimus, vt quicumque Christianus suam ipsius benefaciendi necessitatem intelligat, quia singulos nos tempus expectat quo nobis esset carius, quam quidquid in orbe terrarum mun-

* Hæc
te peri-
ment ad
sequen-
capit.